



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Acta Apostolorum to. primus

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

Cap. 14.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39424

tum quasi suum venenum circa specialis fidei & electionis certitudinem in vna pagella effundens, ita eius omnia vestigia persequi, & singulis toxicis sua antidota apponere, operæ pretium duxi.

CAP. XIII.

12. *Sacerdos Iouis, qui erat ante ciuitatem, taurorum & coronas ante ianuas offerens, cum populis volebat sacrificare.* 13. *Quod ubi audierunt Apostoli, Paulus & Barnabas, conscijs tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes:* 14. *Viri, quid hac facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines.*

EXVL CERATISSIMUM in Caluini pectore maleuolentiæ vlcus ad quemlibet contactum in saniem erumpit: imò & leui quouis aspectu aut specie potius atque apparētia leuissima motum, à verbis maleuolis, virulentis, fœtidisque calumnijs temperare sibi non potest. Crassissimam hoc loco Lystrensiū idololatriam, qua Barnabæ & Paulo veluti Dijs de cœlo dilapsis cum tauris & coronis sacrificare volebant, ad venerationem Sanctorū in Ecclesia Catholica perpetua religione obseruatam homo impius obtorto collo detorquet. At quo tandem modo? Ex illa Barnabæ

nabæ ac Pauli responsione: *Et nos mortales sumus similes vobis homines.* Hæc (ait Calvinus) frigida videtur esse oratio, quæ ab Apostolis affer-
tur. Inde enim colligere promptum foret, non esse illicitum eorum cultum, quos humanis miserijs mors exemit. Hoc modo intactæ starent Gentium omnium superstitiones, quæ in Deorum numerum nõ solebant nisi mortuos referre. Eodem etiam colore suam ido-
latriam Papistæ fucarunt, qui mortuorum ossa, li-
gnum, & lapides potiùs adorant, quàm viuos & spirituales homines. Hæc ille: cuius tota oratio
non frigida modò, sed insulsißima est. Non enim idcirco Paulus se hominem mortalem asseruit, vt viuentium tantùm & spiratium hominum cultum condemnaret, vnde ta-
citè inferre possent saltem mortuos homi-
nes coli posse; sed vt omnium prorsus ho-
minum cultum diuinum animis eorũ exi-
meret. *Mortales (inquit) sumus similes vobis homines:* id est, non sumus (vt vos putatis)
Dij aliqui de cælo dilapsi (sic enim existi-
mantes dicebant, *Dij similes facti hominibus descenderunt ad nos*) Non sumus Iupiter aut Mercurius, aut tale aliquid, quos vulgus Gentilium nunquam fuisse mortales sibi persuasit, tametsi poetæ eorum originem carminibus celebrarint; sed sumus natura homines similes vobis, naturæ prorsus humanæ, non diuinæ; ideoque non de cælo venimus, sed mortalem in terris vitam agimus sicuti vos. Hæc est aperta & clara

Calvinia
foeda in
Eccles. Ca-
thol.

Pauli ve-
ra senten-
tia.

Pauli sententia, quæ omnium prorsus mortalium hominum seu viventium seu mortuorum cultum diuinum (qualem isti exhibere voluerunt) excludit, & solum Deum, qui immortalis & sempiternus est, adorandum docet. A tota igitur Pauli sententia aberrat Calvinus; seu studio, vt Catholicos carpendi ansam sumeret, seu ex inscitia, ipse viderit: & frustra in sequentibus huic à se propositæ prorsus extra chorum obiectioni accuratam molitur responsionem. Porro plenum stultitia & apertè falsum est quod subiungit, *Gentes non solere in Deorum numerum nisi mortuos referre*. Quis enim nescit, præter illos fictitios Deos, Iouem, Saturnum, Mercurium, & huiusmodi, ipsas etiâ stellas, Lunam, & Solem, adeoque ipsa quadrupedia & volatilia miseros & cæcos Gentiles pro Dijs coluisse? quod toties Scriptura commemorat, & disertissimè Paulus his verbis,

Calvini
crassissi-
ma stoli-
ditas.

Rom. i.

Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudine imaginis corruptibilis hominis, & voluerum, & quadrupedum, & serpentum, vt planè hoc loco Calvinus quouis pagano cæcior (ita eum malitia excæcauit) factus fuerit.

Iam quod de Catholica Ecclesia Satan iste & accusator inēdax fratrum nostrorum affirmat, eodem colore nostram idololatriam fucare nos posse, qui mortuorum ossa, lignū & lapides adoramus, tam multiplici demerita plenum est, vt paucis illa aperiri nequeat. Colorem quem fingit,

fingit, quo Sâctorum cultû fucare velimus,
 fucum futilem & inanissimum esse ex præ-
 cedentibus apparet, quum de hominû cul-
 tu respectu Dei, non viuentiû cultu respec-
 tu mortuorum, Paulum disputasse planum
 fecerimus. Catholicos mortuorû ossa ado- ^{Aliud}
 rare, cultu videl. diuino, qualem isti pagani ^{crassum}
 suis falsis Dijs impendebant, aut vlla illis ^{Caluini}
 sacrificia offerre, sicut isti Paulo ac Bar- ^{mendaciâ.}
 nabæ sacrificare volebant, crassius menda-
 cium est, quàm vt vlla refutatione egeat.
 Sanctorum reliquias si certa veneratione
 Catholici prosequuntur, nemo tam crassus
 est qui à gentilitia idololatria illâ lōgissimè
 latissimèque discernere nesciat. Iam si lapi-
 des & ligna Catholici adorant, & cultu di- ^{Christia-}
 uino prosequuntur, ipsis profectò Gentili- ^{nos paga-}
 bus & Paganis cæciores erunt, qui (iuxta ^{nis cæcio-}
 Caluini sententiam) in Deorum numerum ^{res Calui-}
 non nisi homines mortuos referebant, atque ^{nus facia-}
 in ligna & lapides pro Dijs non habebant.
 Alius enim distinctus longeque deterior &
 crassior cultus eorum erat qui ligna & lapi-
 des pro Dijs adorabant, quàm eorum qui
 homines mortuos veluti heroas & præstan-
 tes viros in Deorum numerum referebant,
 vt clarè docet D. Augustinus. Sed ita Cal-
 uinum malevolentia excæcauit, vt ad cul- ^{De doctr.}
 tum Catholicum reprehendendum in pau- ^{Christ.}
 corum verborum disputatione ter quater- ^{lib. 2.}
 que cæcus & insulsus deprehendatur. Tali

vertigine percuti meretur, qui diuinis Scripturis non ad veritatis doctrinam, sed ad propriam libidinem exsaturandam, nefarie & impie abutuntur, easque probrose contuprant.

15. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.*

Hæresum
hodie pro
gressus.

Horum temporum hæretici, quum ex-
tante hoc schismate in quibusdam
tantum Catholicæ fidei dogmatibus repre-
hendēdis, Christianorū hominū patientiam
tentassent, rerum successu elati, tantum sibi
tandem de illorum stupiditate & stultitia
pollicebantur, vt dicere & affirmare non
vererentur, vniuersam Christi Ecclesiā orbi
cognitam his adeo multis sæculis (sanè ab
ipso Apostolorum tempore) crassis admo-
dum erroribus implicatā, fœdis superstitioni-
bus immersam, à Deo penitus desertam
fuisse, & tam à vero Dei cultu quàm à tota
iustitia fidei penitus excidisse. Hanc puden-
dam & horrendam blasphemiam, quū æquis
animis, imò plausibiliter à leuissimis homi-
nibus, & cuiuslibet nouitatis auidis, excipi
vidissent; ad eius quoque quantumlibet ab-
furdæ & execranda sententiæ confirmatio-
nem, diuinas Scripturas, sicut ad cætera sua
placita omnia confirmanda, aliquo tandem
modo contorquere oportuit. Calvinus de-
xter in hoc genere si quis alius, promptus &
acutus,

acutus, egregium ad eam rem locum in his
 D. Pauli verbis inuenisse se ratus, accuratè
 illa & prolixè pertractat. Primum eorū vim
 hac arte dilatat. Quoniam (inquit) duo non par-
 ua erant obstacula incredulis, longa tēporis antiqui-
 tas, & cōsensus omnīū fere gentiū, vtrumque hic di-
 runt Paulus & Barnabas. Si multis seculis erratum
 est (inquiunt) ac vagatus est mundus sine ratione &
 iudicio, ne ideo vobis minoris sit Dei veritas quum
 affulget. Nam quum aeterna sit, nec mutetur, minimè
 æquum est, longam annorum prescriptionem illi op-
 poni. Nihil plus patrocini in hominum numero esse
 contendunt. Non est, inquiunt, quod vos à recta via
 impediat totius mundi conspiratio. Inualuit omni-
 bus populis cecitas. Sed Deus nunc vobis illucet.
 Aperiendi igitur sunt oculi, neque in tenebris tor-
 pendum est, etiamsi in illis antehac demersi fuerint
 omnes populi. Hæc est dilatio & amplificatio
 Caluiniana illius parue Paulinæ sententiæ;
 quam vt pro vera ac legitima admittamus,
 nec in ea excutienda operam & oleum per-
 damus, videamus quid ex ea tota contra
 Catholicā Ecclesiā (ad quam quoquo modo
 vellicandam omnis semper eius accuratā
 disputatio collimar) bonus interpret colligit.
 Pluribus adhuc interiectis, ita tan-
 dem principale intentum concludit. Ita (in-
 quit) refellitur Papiſtarum cavillum, dum fieri non
 posse contendunt, vt Ecclesiam passus sit Deus tam
 longo tempore errare. Hæc est hominis hoc lo-
 co extrema impietas. Quia ante aduentum

Ecclesiæ
 vniuersa-
 lis interi-
 tum pro-
 bare con-
 tēdit Cal-
 uinus.

Collectio
 Caluini
 stultitiæ
 & demer-
 titæ plenā.

Filij

- Mare. 1. Filij Dei in carnem, ante *Euangelium regni Dei*
 Ephes. 3. mundo pradicatum, antequam *medium parie-*
tem soluens fecisset vtraque vnum, duos condens in
semetipso in vnum nouū hominem, faciens pacē, &c.
 Ioan. 10. antequam esset vnus Pastor & vnū Ouilē, an-
 tequam pradicaretur in nomine eius *pœnitētia &*
 Luc. 24. *remissio peccatorum per omnes Gentes incipiendo a*
 Ephes. 4. *Hiernsalem, antequam dedisset Apostolos, Pro-*
phetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores ad adi-
ficationem corporis sui, donec occurramus omnes in
 Act. 10. *agnitiōē Filij Dei. Deniq; antequam acquisi-*
 Philipp. 3. *uisset Ecclesiam sanguine suo, vt omnis ling. a con-*
 Psalm. 2. *fiteatur nomini eius, & haberet gentes heredita-*
tem suam, possessionem suam vsque ad vltimos ter-
re, dimiserat Deus omnes gētes ingredi vias suas,
vt nec antiquitas temporis, nec consensus
omnium gētium prädicationi sancti Euan-
gelij per Apostolos, Pastores, & Doctores
facta quicquam præiudicaret; propterea, iu-
xta impium & Atheum Caluinum, etiam
post aduentum Filij Dei in carnem, post
Euangelium regni mundo pradicatū, etiam
post duos populos Iudzorum & Gentium
in vnum corpus coalitum, etiam post vnum
Pastorem & vnum totius mundi Ouilē col-
lectum, etiam post prädicationem pœni-
tentiæ in omnes gentes, post datos Aposto-
los, Pastores, & Doctores, qui corpus Chri-
sti, quod est Ecclesia, edificarent vsque ad
omnium gentium cōuersionem, etiam post
acquistam Ecclesiam sanguine Filij Dei
 toto

toto orbe propagatam, his omnibus nō ob-
 stantibus, planè sicut prius, ita & postea, di-
 misit Deus gentes omnes ingredi vias suas, passus
 Ecclesiam suam tam longo tempore erra-
 re; vt post sexdecim iam penè secula contra
 Caluini Euāgelium nec antiquitas tempo-
 ris, nec consensus omnium gentium vel mi-
 nimum præiudicare debeat. An hac colle-
 ctione magis impium, horrendum, atque
 blasphemum aliquid dici potest? Aut quæ
 tandem alia blasphemia expectanda nunc
 est, quàm vt de reliquo dicatur, Christum
 non esse Christum? falsa esse omnia non so-
 lum quæ ille disertissimis verbis dixit, *Con-*
tra Ecclesiam meam porta inferi non praualebunt;
 & rursum, *Docete omnes gentes; Ecce, ego vobis-*
cum sum omnibus diebus vsque ad consummationem
seculi; sed etiam quæ de rota redemptione
 mundi que innouatione per illum facienda
 in locis iam citatis, tam multa, tam crebrò,
 tam perspicuè dicta sunt? Quòd si vsque ad
 Caluini prædicationem Deus passus est Ec-
 clesiam suam tam longo tempore errare, si-
 cuti ante Christi aduentum *dimisit omnes gen-*
tes ingredi vias suas; attende mecum (quæso)
 lector, & vide, cur etiam iam credamus per
 Caluinum Euāgelium tandem affulsisse,
 ac non porius adhuc aliud Euāgelium &
 aliam Euāgelij lucem expectare debemus?
 Cur non credamus tempus ignorantiae, quæ
 per tot secula perdurauit, nostro quoque se-
 culo

Christia-
 nismum
 tollit dis-
 putatio
 Caluinia-
 na.

Matth. 16

Matth. 28

Hæreses
 hodiernæ
 ad atheis-
 mum du-
 cunt.

culo similiter adhuc perdurare? Aut cur hanc ignorantiam tot seculorum magis Caluini operâ extinctam credamus, quam Lutheri operâ, à quo Calvinus in rebus maximis & multis dissensit? vel cur vtriusque illorum magis quam Anabaptistarum operâ; vel etiam cur omnium illorum magis quam Tritheitarum, qui hodie tres personas & vnum Deû, item Antitrinitariorum, qui Christum esse verum Deum in Polonia & Transilvania fortissimè negant?

Aduerte igitur hoc loco & attende, Lector, hodierni schismatis apertam impietatem, quæ, nisi maturè caueas, ad Christum penitus pernegandum te rectâ perducatur. Ecclesiæ Christi per tot secula per tot gentes florentissimæ fulgor, in tot Scripturis & promissionibus tam Euâgelicis quam prophetis authoritas fundata, Lutheri oculos ita perstrinxit, animumque concussit, *vt nisi post maximam conscientie luctam, de hac Troia (vt ipse met scribit) triumphare potuerit.* Ea igitur triumphata, & hoc durissimo nodo dissecto, quum ab ipsis suis Euangelicis fratribus, Zuinglianis, contradictionem pareretur; Ecclesiæ authoritatem in illa causa Sacramentaria luculentissimam illis opponere non est ausus, sed ex solis Scripturis æquo Marte pugnare debebat. Extinctis Luthero & Zuinglio, & in hac pugna sacramentaria post Zuinglium Caluino, post Luthero-

Ecclesiæ
authori-
tas here-
ticos ho-
die variè
torfit.

In præfa-
tione ope-
rum suo-
rum.

Lutherum Ioachimo VVestphalo fortiter decertantibus, cœpit VVestphalus contra Calvinum Ecclesiæ Catholicæ consensum, quæ pro illo apertè stabat (inquantum reale corporis & sanguinis Christi præsentiam sustinebat) acriter vrgere. Istud ægerimè ferens Calvinus, his eum verbis coërcet: *Præfatur suo more VVestphalus, pro somnio me habere Ecclesiæ fidem. Miror autem cur saltem à Lutherò, quem ubique sibi magistrum iactat, non didicerit Ecclesiæ nomen parcius & modestius obtinere. Neminem enim ex Papistis hactenus video proteruius & magis effreni audacia fuisse Ecclesiæ titulo abusum. Hęc ille. Laudat Lutherum ab Ecclesiæ autoritate contra Sacramentarios temperantem. Excandescit contra VVestphalum eadem autoritate in eadem causa illum prementem. Rursum alibi: Barbare exprobrat VVestphalus nihil magis iniquum esse quàm de doctrina disputari tanto consensu recepta. Cui statim responder: Maiorene quàm transsubstantiatio, Missæ sacrificium, & prohibitio calicis? Ergo si obtimeat VVestphali censura, non sine sacrilega audacia Lutherus figmenta illa, quæ totius ferè mundi suffragijs recepta erant, conuellere ausus est. Hęc Calvinus, Ecclesiæ Catholicæ consensum VVestphalo in os regerès, quem ille Caluino in os obiecerat: quia vtraque videlicet secta à totius orbis Christiani consentiente doctrina nefariè discessit. Sed videamus nunc an quod in Lutherano Caluinus*

Luthera-
ni Calui-
num au-
thoritate
Ecclesiæ
premunt.

Defens. 2.
de Sacra-
mēt. pag.
1071.

Ibidem.
pag. 1080.

Calvinus
Luthera-
nos de
despecta
Ecclesiæ
accusat.

uinus ferre nō potuit, Christiani orbis consensum illi obijciēte, hoc in alijs horū temporum hæreticis, qui ab ipso Caluino discesserunt, ferre Caluinus potuerit. Valentinus Gētilis, Petrus Statorius, Paulus Alciatus, Georgius Blandrata, Gibrardus iureconsultus, Bernardinus Ochinus, Lælius Sozinus, omnes Geneuēsis scholæ discipuli, quibus postea in Transsiluania se adiunxerūt Gregorius Paulus, Lismannius Corycensis, & Frācisus Dauidis, primū Trithemitarum crassissimam hæresē docentes, authore Valentino Gentili, postea Samosateni & Arii hæreses renouantes, aut etiam Ariana hæresi deterius, eadem libertate qua primū Lutherus, postea Caluinus, omnem antiquitatis cōsensum in tam multis eorum nouis dogmatibus orbi obtrudendis contempserunt, illud vrgentes quod hīc Caluinus vrgendum docet contra longam temporis antiquitatem & omnium gentiū consensum, *Dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas*, ipsi quoque pari frōte contemnere non sunt veriti. Quare sicut Caluinus pro suis contra Ecclesiam dogmatibus exporrecta fronte scripsit, *nulla Conciliorum, Pastorum, Episcoporum nomina (quæ tam falsò obtendi quàm verè vsurpari possunt) nos impediunt, quo minus & verborum & rerum documentis moniti, omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, quo probemus num ex Deo sint*; sic & isti Antitrinitarij

Institu-
tion. lib 4
c 9. num.
12.

trinitarij ac Tritheitæ omnium Concilio-
rum, Pastorum, Episcoporum nominibus
reiectis, ad diuini verbi regulam omnia exa-
minantes, suas nefarias hæreses, nec minori
quàm Caluinus pertinacia, tuentur. *Ego non*
nego (ait Franciscus Dauidis) *veteres interpre-*
tes stabilire tripersonatum Deum: sed nobis nihil
cum illis commune. Soli Dei verbo adhærescimus.
Nolo (inquit Petrus Statorius) *in hoc mysterio*
vel tantillum à sacris literis abduci. Contra Ser-
uetum, horum omnium (vt videtur) paren-
tem ac principem, Ministri Tigurini con-
queruntur quòd *Athanasium, Augustinum,*
& alios Dei seruos eximios, illustratæ Ecclesiæ lu-
mina, Trinitarij, atque aded Atheos nuncupa-
bat. Idem Seruetus (si Caluino credimus)
adedò nemini veterum pepercit, vt omnes
dicat fuisse *cacos sophistas, Bestia ministros, man-*
cipia Antichristi, & Satanae præstigijs fascinosos.
Ita quod sibi licere voluit primùm Luth-
erus cum suis Lutheranis, postea Caluinus
cum suis Geneuensibus, non tam Zuinglium
& Tigurinos sequutus quàm astutè circum-
ueniens, vt pro dogmatibus fidei capitali-
bus circa iustitiam & salutem hominis Chri-
stiani, circa Sacramenta, circa totum exter-
num cultum, circa vniuersam Ecclesiæ hie-
rarchiam & policiam, penitus innouadis to-
tam antiquitatem cõtemnerent atque de-
spicerent; hoc & tantundem Seruetus pri-
mùm, posteaque alij prænominati hæretici

T sibi

Antitrini-
tarij con-
tra Calui-
num Ec-
clesiæ con-
sensum
despiciūt.
In Act. 2.
diei dispu-
tar. Alba-
na.

Beza epist.
16. p. 112

In epist.
ad Gene-
uens.

In tract.
Theol. pa-
280.

In lib. de
seruo ar-
bitrio.

In com-
ment. ad
1. Cor. 3.

Cent. 2.
cap. 4. art.
de Inclina-
tione do-
ctrinae.

Instit. lib.
2. cap. 2
num. 9. li.
3. c. 3. n. 16
& c. 4. n. 1.
38. & c. 5.
num. 10.
lib. 4. c. 18
num. 11.

In praef.
in Com.
noui Test.

sibi licere voluerunt, pro abolenda Sanctis-
simae Trinitatis, Christiue Redemptoris
nostri Dei atque hominis fide. Scripsit Lu-
therus in causa liberi arbitrij asserenda pri-
morum seculorum Patres omnes cecutisse, imperi-
tissimos sacrarum literarum fuisse. Scripsit Me-
lanchtō Lutheri sodalis intimus: *Stati in ini-
tio Ecclesiae scriptores veteres obscurauerunt do-
ctrinam de iustitia fidei, & auxerunt ceremonias, &
finxerunt peculiare cultus.* Scripserunt Magde-
burgenses Centuriata, rigidi Lutherani, de
principio secundi seculi post Christum: *Tame-
n si haec a Apostolis vicina fuit, tamen do-
ctrina Christi & Apostolorum non parum offusari
cepi. Multae enim monstruosae & incommode opi-
niones passim a Doctoribus sparsae reperiuntur.*
Hos sequutus Calvinus, in singulis dogma-
tibus controuersis totam antiquitatem veluti
aniculae alicuius fabellam audacissimè reij-
cit: in quaestione de lib. arbitrio, de satisfac-
tione, de oratione pro defunctis, de sacrifici-
o Missae. Augustinus Marloratus, acerri-
mus Caluini discipulus, de primis in Eccle-
sia Patribus ita scribit: *Tanta fuit primis illis
Apostolis, Prophetis, Pastoribus, Doctoribus vi a
functis, fidelium Ministrorum Christi in toto orbe
inopia, ut pro fidei Pastoribus innumerati lupi graues
ac rapaces se in gregem Christi callide insinarent,
qui statim praecariis illis Ecclesiae Pastorum ac Epi-
scoporū titulis laruari, miseris oues sacro Dei pabulo
fraudarent, illiusq. loco fetidas quasdam & inanes
traditio-*

traditiones, quas ex putidis carnis prudentia
lacunis hauserant, in orbem inuexerunt, ac pro
oraculis haberi voluerunt. Hæc ille, ut reie-
ctis omnium veterum Patrum commen-
tarijs, suorum hominum nouas interpre-
tationes veluti Catholicam & Ecclesiasticam
(ut eas vocat) expositionem lectori com-
mendaret. In tota hac tam impudenti &
impia exceptione nihil se peccare aut Lu-
therus aut Lutherani, aut Calvinus aut Cal-
uiniani existimarunt. Atqui noui Trinitatis
& Arianismum, idem sibi licere non dubitantes, hoc
vno formali syllogismo contra SS. Trinita-
tis fidem depugnant: *Quæ doctrina in orbe recepta*
est post Christi in celos ascensionem, planè est falsa
& Antichristiana. Sed doctrina de vnitate in
tribus personis statim post Christi ascensionem fuit
in orbe toto recepta, & deinceps conseruata. Igitur
ea doctrina omnino falsa est & Antichristiana.
Maior propositio omnium Protestantum tam
Lutheranorum quam Calvinistarum certum &
commune axioma est, ut eorum citata verba de-
monstrarunt. Ad quos accedunt in Anglia Pu-
ritani, quorum assertor & vindex primarius
Carterouitius disertè scripsit, meritò in suspi-
cionem vocandum esse, quicquid prima Ecclesia de-
finiuit. Sed & alibi affirmant Solis Evangelici
radios per Lutherum quidem feliciter exortos, nonnihil
apparuisse: Caluini autem opera alicuius eleuato to-
tum nostrum horizontem collustrasse. Nunc igitur,
si contra Lutherum aut Caluinum, eo-

Lib. 1. c. 1.

In 2. re-
plica con-
tra VVhit-
gift.
In defen-
VVhitgift
pag. 710.

rumque sectatores, nec longa temporum antiquitas, nec omnium gentium consensus quicquam valere debet, *quia dimisit Deus gentes ingredi vias suas*, cur tandem contra Tricheitas, Samosatonicos, notiosque Arianos, antiquitatis præscriptio valere poterit? Iam vero si nec contra illos valebit, quis non vider totam Christi fidem hac sceleratissima audacia penitus nobis eripi? Hoc igitur agit Caluini hoc loco commentarius, hoc agit antiquitatis Ecclesiasticæ & consentientis orbis Christiani contemptus, ut ab Ecclesia ad Lutherum, à Luthero ad Calvinum, à Caluino ad Beatiss. Trinitatis Christique Deitatis negationem, ab illa ad Mahometicam impietatem certis quasi gradibus Christiani homines abducantur. Exemplum habemus in Paulo Alciato, & Bernardino Ochino ad Mahometismum delapsis, ut Epist. 81. Beza testatur; & in Francisco Davidis, qui eò profecit, ut Christum venerandum vel invocandum prorsus negaret. Quo etiam execranda blasphemix nomine Matthæus Hamond in Anglia in ciuitate Nordouicensi flammis absumptus est. Hæc ad Caluini hoc loco detestabile toxicum non nihil aperiendum & explicandum, seduloque cauendum & fugiendum, paulò vberius dicere volui. Quæ adhuc his addi possent, alia data occasione (si Deus voluerit) accumulabimus.

Nunc,

Ecclesiasticæ antiquitatis contemptus ad Mahometismum ducit.

Epist. 81.

An. 1579.
Maij. 2.

Nunc, ut glossam suam planè impiam aliquo fūco probabilem lectori reddere coneretur, videamus. Nam vnde, inquit, fluxerunt ^{Caluini stolidi disputatio} gentes nisi ab arca Noë, vbi singularis quædam erat Ecclesiæ puritas? Posteritas etiam Sancti Sem vna cum alijs degenerauit. Imò Israël, selectum Dei peculium, ipse quoque ad multum tempus relictus fuit. Quare nihil mirum est, si Deus sub regno Christi eadem qua olim cæcitatæ pœna verbi sui contemptum vltus est. Vides, Lector, quam accuratè vniuersæ Ecclesiæ Christianæ cæcitatem & ignorantiam Caluinus probare vult, omnibus hæreticis quibus Ecclesiæ Christianæ doctrina aliquando displicebit, latam fenestram aperiens, & viam monstrans, qua illam audacter & liberrimè contemnant, nouamque sibi quisque, contra totius Ecclesiæ vnanimem & longissimè receptum sensum, doctrinam fabricet, hæresim adinueniat, sectam introducat. Atqui videre & aduertere homo impius debuit non frustra Christum mortuum esse, sed datū esse à Patre Christo, quod nec diebus Noë, nec posteris Sem, nec tali populo Israel datum fuit, ut propter meritum passionis eius, & quia humiliavit se ipsum factus obediens Patri usque ad mortem, exaltaretur in mundo, & omnis lingua confiteretur nomini eius; quia posuit pro peccato animam suam, videret semen longæuum; quod disperiat ei Deus plurimos, & fortium diuidat spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam. ^{Philipp. 2. Esai. 53.} Videre & aduertere

- Luc. 24. rere impius debuit, oportere quidem Christum pati, & resurgere, & tunc predicari poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine eius per omnes gentes: quia tunc data est ei omnis potestas in calo & in terra: sed ad quid? Eunt igitur predicate Euangelium omni creatura, docete omnes Gentes. Sed quam diu aut quo fructu? Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. An talis aliqua promissio aut Noë, aut Sem, aut ipsi Israël aliquando facta est? Videre & advertere impius debuit, Christum Redemptorem de sua Ecclesia in eius nomine propaganda singulariter affirmasse:
- Matt. 16. Porta inferi non praevalent adversus eam. Videre tandem & recolere debuit ipsas veteres prophetias de Christi regno perpetuo, & nunquam in terris cessaturo. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuravi ne inducerem aquas ultra supra terram, sic iuravi ut non irascar tibi, & non increpem te. Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meae non movebitur, dixit miserator tuus Dominus. Imò videre & recolere debuit hic homo impius, quæ ipsemet contra similem Serueti impietatem, ex cathedra sua Geneuensi, pro Ecclesiæ Christi perpetuitate ex veteribus Prophetis, quia tum illi commodum erat, protulit. Dixerat Seruetus, spiritualem & internam Spiritus Sancti missionem, qua Christus arcano modo gubernat Ecclesiam, non addi continuo post Christum, sed ad renoua-

In refut.
errorum
Serueti
pag. 905.

renouationem nescio quam differri, donec aboleatur regnum Papæ. Hic respondet Calvinus: Interius ergo Spiritus regimen, quo verè testatus est Christus se mysticum esse Ecclesiæ suæ caput, penitus deletur à Serueto, ut instar Machometi, cum noua & prius incognita reuelatione, noui mundi instaurator surgat. An non id est, quicquid adeptus est gloriæ Christus, ex quo ad dexteram Patris confedit, exinanire? Neque enim ut sibi priuatum regnaret, in tantam conscendit altitudinem: sed ut Spiritus sui gratiam diffunderet, quam in cordibus suis certo fidei sensu reconditam agnoscunt fideles, licet visibilis non appareat. Diuturnum quod fingit Ecclesiæ è terris exilium non attingi: in quo Deum palam mendacij coarguit. Attendant lectores, atque ex hoc quoque loco discant, in refellendis Serueti erroribus me parcum fuisse magis quam cupidum. Ecclesiam fingit ab annis mille ducentis & sexaginta fugatam à mundo fuisse, ut calum illi exilium fuerit. Nos certè è splendidis sedibus eiectam facemur, sed ita ut electas à se reliquias admirabili gratia seruauerit Dominus. Alioqui mentitus foret, qui semper aliquem sibi populum in terra fore promissit, quamdiu sol & luna in cælo fulgebunt. Scimus quid passim de æterno Christi regno testentur Prophetæ. An eius sedem in cælis locant? Imò fore predicunt, ut sceptrum eius è Sion procul Dominus ostendat, quo dominetur ab ortu vsque ad occasum, & eius hereditas sit terrarum orbis. Nunc ergo populo eum priuare quæ nomen eius celebret, perinde est, ac si abscissa eius parte, ipsum in calco mutilum includere ten-

Ecclesiæ
conserua-
tionem
contra
Seruetum
tuetur
Calvinus.

temus. Non enim frustra dicitur Ecclesia eius complementum: nec ea quidem Angelica, vel cœlestis, sed quam in hac mundi peregrinatione fouet, ac presidio suo tuetur. Itaque verè & prudenter Augustinus, nisi Ecclesie sue coniunctus sit Christus, non secum asferre quod illi à Prophetis tribuitur. Scit e iam alibi colligit, qui Ecclesiam interissee volum, iam non esse eius membra. Hæc cōtra Seruetum Calvinus. Ecclesie Christianæ perpetuitatem iuxta Scripturas propheticas agnoscit. Sed dū excipit à splendidis sedibus illā etē tā fuisse, & electas reliquias à Domino seruatas, visibilem Ecclesiam, quæ Pastores & Doctores suos conspicuos habeat, rursus homo impius negat. Ita rursus Christi dona, promissiones, & gloriam eius morti debirā euacuat. Sed & ante Christi aduētum sub ipso Noë, Sem, & quantumcumque idololatra Israël, suas in mundo reliquias Dominus seruauit: suos habuit Iobos, Abrahams, Elias, Danielles, Sibyllas, & sterilem illam, aliquam tamen, etiam inter Gentes Ecclesiam, ut alibi docuimus. Christus autem non solum Ecclesiam cōstituit nunquam interituram, sed & Pastores atque Doctores ei dedit: nunquam defuturos, sine quibus nec Ecclesia constare, nec Christi gloria propagari potuit. Quare aut Calvinus in eodem luto cum Seruetto hæret, aut suammet impietatem hoc in loco refutauit. Sed sensit tandem ipse, & senserunt Calvinistæ postea, quam ad omnem

Calvinus
visibilem
Ecclesiam
negans
eam è me-
dio tollit.

Reliquias
seruatas
propiam
Christi Ec-
clesiam
non con-
stituunt.

nem impietatem & atheismum aperta ab illis ianua esset, dum Ecclesiæ Christianæ vniuersæ à tot seculis errores & ignorantias, non minùs impudenter quàm impietate assererent. De quo Beza in varijs suis epistolis acerbè conqueri coactus est, quæ alio fortè loco proferemus. Epist. 8. 18 & 81.

22. *Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.*

DOcet hic locus quæ esse debeat Ecclesiæ Christianæ politia, recedentibus ex hoc mundo Apostolis, quos immediatè Christus, vel expressa diuini Spiritus reuelatio (vt in Barnaba ac Paulo) ad prædicandum & docendum misit. Nempe non vt vel priuatus quisque ex lectione Scripturarum fidem sibi former ac fingat, vel ad fidei prædicationem & doctrinam quilibet quantumcumque doctus, aut à Spiritu (vt sibi videtur) motus & incitatus, se ipsum ingerat, vel denique vt ab illis fidei doctrinam populus accipiat, quos Princeps aut Magistratus loci ad docendi munus vocat (quibus omnibus modis Ecclesiasticam hodie politiam deprauarunt hæretici) sed vt *per singulas Ecclesias*, id est, per singulos populi Christiani cœtus, contubernia, vicinias, parochias,

T 5 (Eccle-

Ecclesiæ
Christianæ
politia.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.

16.

17.

18.

19.

20.

21.

22.

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

31.

32.

33.

34.

35.

36.

37.

38.

39.

40.

41.

42.

43.

44.

45.

46.

47.

48.

49.

50.

51.

52.

53.

54.

55.

56.

57.

58.

59.

60.

61.

62.

63.

64.

65.

66.

67.

68.

69.

70.

71.

72.

73.

74.

75.

76.

77.

78.

79.

80.

81.

82.

83.

84.

85.

86.

87.

88.

89.

90.

91.

92.

93.

94.

95.

96.

97.

98.

99.

100.

101.

102.

103.

104.

105.

106.

107.

108.

109.

110.

111.

112.

113.

114.

115.

116.

117.

118.

119.

120.

121.

122.

123.

124.

125.

126.

127.

128.

129.

130.

131.

132.

133.

134.

135.

136.

137.

138.

139.

140.

141.

142.

143.

144.

145.

146.

147.

148.

149.

150.

151.

152.

153.

154.

155.

156.

157.

158.

159.

160.

161.

162.

163.

164.

165.

166.

167.

168.

169.

170.

171.

172.

173.

174.

175.

176.

177.

178.

179.

180.

181.

182.

183.

184.

185.

186.

187.

188.

189.

190.

191.

192.

193.

194.

195.

196.

197.

198.

199.

200.

201.

202.

203.

204.

205.

206.

207.

208.

209.

210.

211.

212.

213.

214.

215.

216.

217.

218.

219.

220.

221.

222.

223.

224.

225.

226.

227.

228.

229.

230.

231.

232.

233.

234.

235.

236.

237.

238.

239.

240.

241.

242.

243.

244.

245.

246.

247.

248.

249.

250.

251.

252.

253.

254.

255.

256.

257.

258.

259.

260.

261.

262.

263.

264.

265.

266.

267.

268.

269.

270.

271.

272.

273.

274.

275.

276.

277.

278.

279.

280.

281.

282.

283.

(Ecclesia enim cœtum aliquem & multitudinem fidelium significat) ab ipsis Apostolis constituerentur, id est, per manuum impositionem ordinarentur (hoc enim significat verbum Luca *καπολόνηται*, hoc loco) Presbyteri, qui postea Sacerdotes à tota antiquitate vocantur, qui docendi munere fungerentur, atque ita demum Deo commendarentur, in quem crediderunt: id est, constituto externo regimine & ministerio, reliqua diuinæ gratiæ suis semper cum Ministris præsentis, iuxta illud Christi, Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, relinquerentur. Singula sunt hic notanda. Qui constituunt, sunt Apostoli. Sed quòd eadem potestas ad eorum successores Episcopos peruenit, illa vna Pauli sententia ad Titum docet: *Huius rei gratia reliqui te Creta, ut constituas per ciuitates Presbyteros. Qui cōstituuntur, sunt Presbyteri, & constituuntur illis, id est, ut illis populis præsin, apud quos constituuntur. Vnde alibi Paulus: Duplici honore digni sunt qui bene præsunt Presbyteri, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Modus constituendi est manuum impositio, cum oratione & ieiunio coniuncta. Hinc apud Græcos Patres, Ordinatio ipsa Ecclesiastica propriè & perpetuò vocatur *καπολόνησις*. Vnde Zonaras Canonum Apostolicorum interpres Græcus ad 1. Canonem Apostolorum, qui sic habet, *ἐπιτιθεσθαι χερσιν ἐπὶ τῷ ἐπίσκοπῳ*, Imponantur manus Episcopo per duos*

Tit. 1.

2. Tim. 5.

καπολόνησις, Ordinationis ceremonia.

aut tres Episcopos, ita scribit: *ἡ ἐπιθολία* vocatur, dum quis sacerdos initiatur, absolutio precum, Sanctique Spiritus invocatio. Sic & D. Hieronymus, in com. in Esaiæ cap. 38. *ἡ ἐπιθολία*, id est, ordinatio clericorum, non solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manus impletur. Sic Theodorus à Pontificibus ordinari *ἡ ἐπιθολία* *ἐξεοδαί* nūcupat. In ^b Concilio Laodicensi prohibentur *ἡ ἐπιθολία*, id est, ordinationes in præsencia audientium fieri, id est, catechumenorum. Basilii in Moralibus, docens Episcopum facilem non esse debere ad ordinandum, vitur hoc verbo, *ἡ ἐπιθολία*. Apud Chrysostomum quum legimus, Non enim Presbyteri Episcopum ordinabant, in Græco est *ὁ δὲ ἐκ τῶν ἐπιθολίων οἱ πρεσβύτεροι*. Iuvat hoc loco Calvinicōfessionem audire sanam & orthodoxam; ut ipsi etiam intelligant sectarij, non esse in alienum sensum hæc verba à nobis detorta. Christus, inquit, non tantum Apostolos misit qui Evangelium spargerent, sed iussit etiam institui Pastores, ut perpetua esset & in quotidiano usu Evangelij prædicatio. Hunc ordinem à Christo positum observant Paulus & Barnabas, quum singulis Ecclesijs assignant Pastores, ne post suum discessum esset ac si ea doctrina. Proinde docet hic locus, Ecclesiam non posse ordinario ministerio carere. Presbyteri hic vocantur, quibus iniunctum erat docendi munus. Et paulò post: Scripores Ecclesiastici nomen *ἡ ἐπιθολία* usurpant pro solemini ordinationis ritu,

a. Quæst. 48. in Numeros. b. Can. 5.

Reg. 70. cap. 2.

Hom. 12. in 1. ad Tim.

Calvinicōfessio orthodoxa.

qui

qui in Scripturis vocatur *Impositio manuum*. Hac autem loquendi forma optime exprimitur legitima in creandis Pastoribus ratio. Haecenus omnia rectissime, ipsa eum veritate cogente: sed quia haec illi veritas per omnia non placuit, aliquid aspergere veneni oportuit, Presbyteros, inquit, eligere dicuntur Paulus & Barnabas. An soli hoc privato officio faciunt? Quin potius rem permittunt omnium suffragiis. Ergo in Pastoribus creandis libera fuit populi electio. Sed ne quid tumultuosè fieret, praesident Paulus & Barnabas, quasi moderatores. Sic intelligi debet Laodicensis Concilij decretum, quod vetat plebi electionem permitti. Haec ille. Apertam vim Scripturae Apostolicae facit: & verbo Dei à tergo reiecto, suum commentum homo improbus obtrudit. Clare dicit Lucas de Paulo & Barnaba, & non nisi de illis dicit, Reuersi sunt Lysram & Iconium & Antiochiam, confirmantes animos discipulorum, exhortantesque ut permanerent in fide. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, &c. commendauerunt eos Domino. De illis solis hoc totum Lucas narrat. Illi soli ut Apostoli ad hoc ordinati (suprà cap. 13.) ad loca, in quibus praedicauerunt, visitandae causa reuertuntur. Illi soli, ut Apostoli, confirmant animos discipulorum, & exhortantur. Illi soli constituunt Presbyteros. Quae hic de populi suffragiis vel minima mentio? Cur, quod scriptum non est, de suo cerebro obtrudunt haeretici? An populus confirmauit istos discipulos,

Calvinus
Scripturae
vim facit.

pulos, & exhortatus est eos ad fidei perseuerantiam? Si hoc populus non facit, sed soli Paulus & Barnabas; cur non videt & aduertit Calvinus, solos eosdem, idque priuato officio, Apostolico videl. seu Episcopali, constituisse Presbyteros? Deinde, si hæc constitutio Presbyterorum est ipsa ordinatio per impositionem manuum, vt rectè hoc loco fatetur Calvinus, ipsaq; manuū impositio nō ad populū sed ad solos Pastores pertinet, sicut ipsemet Calvinus alibi apertè professus est his verbis; *Hoc habendū est, nō vniuersam multitudinem manus imposuisse suis Ministris, sed solos Pastores:* inuictè contra seipsum Calvinus concludit, Lucam, quum narrat Paulum & Barnabam constituisse Presbyteros, eorum solum & priuatum factum narrare, de populi autem confectis suffragijs nihil prorsus loquurū esse. Sed voluit Calvinus, quod in sua Institutione prius docuerat (solet quippe non suam doctrinā ad Dei verbū, sed Dei verbū ad suam doctrinā aptare, ideoque prius Institutione edita omnē doctrinā suam tradidit, postea in Scripturas cōmētarios edidit doctrinā suā, nō Catholicā & orthodoxā, cōformes) id ipsum hoc loco sua glossa repetere & cōfirmare. Sic enim ibi scribit: *Refert Lucas cōstitutos esse per Ecclesias Presbyteros à Paulo & Barnaba: sed rationē vel modū simul notat, quum dicit factum id esse suffragijs: καὶ πόλιν ὁ αὐτὸς πρεσβυτέρους. Creabant ergo ipsi duo: sed tota multitudo,*

Calvinus
ex se ipso
refutatur.

Instit lib.
4. cap. 3.
num. 16.

Vbi supra
num. 15.

ut

ut nos Grecorum in electionibus erat, manibus sub-
 latis declarabat quem habere vellet. Hæc ille ibi.
 Sed hoc futile & audax commentum ipsa
 litera Apostolica euidenter iugulat, ubi fa-
 ctum describitur solius Pauli & Barnabæ,
 non multitudinis, idque tale factum quod
 ipso iudice Caluino solis Apostolis aut Pa-
 storibus competere potuit: *manuum vide ꝑꝑo-
 sitio*. Impudenter igitur in sua Institutio-
 ne dixit, *Lucam rationem & modum notasse*, di-
 cendo id factum esse suffragijs, verbo videl. *ꝑꝑo-
 sitio*. Nam in huius loci commentario
 prorsus contrarium affirmat Calvinus. Ver-
 bum, inquit, Græcum *ꝑꝑo-
 sitio* vix quo hic utitur
Lucas, significat aliquid manibus sublati decerne-
 re, quod aliter in comitijs populi fieri solet. Scriptores
 tamen Ecclesiastici nomen *ꝑꝑo-
 sitio* a'io sensu
 usurpant, nempe pro solemnī ordinationis ritu, qui
 in Scripturis vocatur *manuum impositio*. Hæc
 Calvinus hoc loco. Lucas igitur, qui ver-
 bum *ꝑꝑo-
 sitio* non in sensu prophano
 sed in sensu Ecclesiastico haud dubiè acce-
 pit, imò qui per hoc verbum, ipso teste Cal-
 uino, impositionem manuum Pauli & Bar-
 nabæ denotauit, de populi suffragijs aut
 populari manuum eleuatione nihil prorsus
 significauit. Iam textus ipsius euidentia,
 quam aduersarij hoc loco confessio, com-
 mentum istud de electione populari tam
 studiosè per Calvinum asserta ac defensa
 aperè profligauit.

Sed

Sed & Beza, in eodem hærens luto, eadem operâ perspicuè refutatur. Veritè homo impudens, vertuntque alij sectarij, *Quam suffragijs creassent*, & ex hac verbi Græci notatione præsumpta, sensum Caluini parentis fui, & doctissimi interpretis (vt eum vocare solet) de manuum impositione fortiter impugnat. Audiamus beluam sua verba resonantem. *Ortum (inquit) est hoc verbum ex Græcorum consuetudine, qui per rectis manibus suffragia ferebat.* Atqui iam ipse Calvinus contra Bezam, & iuxta vetustissimos Patres à nobis citatos, ingenuè professus est, Scriptores tamen Ecclesiasticos nomen *χειροτονίας* alio sensu usurpare, nempe pro solemnè ritu ordinationis, quæ in Scripturis impositio manuum vocatur. Frustra igitur Beza Græcorum & Paganorum sensum nobis obtrudit. Nec à Græcis sed ab Hebræis potius huius nominis rationem tum Apostolos, tum postea Ecclesiasticos scriptores accepisse, vero propius est. Nempe ab illa *χειροθεσία*, seu manuum extensione, quæ Iudæis Sacerdotibus populū benedicentibus in more erat. Quam etiam manuum non eleuationem popularem, sed extensionem sacerdotalem, ipsam vocis *χειροτονίας* propriam esse significationem, docet Suidas homo Græcus, & Græcæ linguæ peritissimus *χειροτονίαν* (inquit) τὴν *ἑκτά τῶν* id est, quādo manus extenditur.

Sanè non alio sensu Lucam hoc verbum acced-

Beza corruptio refellitur.

alia q. 303
origines

et. 11

Presbyte-
rorū con-
stitutio
hoc loco
ipsa fuit
impositio
manuum
Apostoli-
ca.

accepisse, quàm pro ipsa manuū impositio-
ne, quæ sine extensione non fit, perspicuo,
ni fallor, argumēto commonstrabo. D. Lu-
cas superiori capite de Presbyteris Antio-
chenis dixerat, quodd Paulum & Barnabam
ad opus Apostolicum dimiserunt, *ieiunan-
tes & orantes, imponentesq; eis manus*. Atqui hæc
ipsam manuū impositionem Presbytero-
rum super Barnabam Paulus vocat *χειροτο-
νείαν*. Sic enim de Barnaba scribit ad Co-
rinthios: *Misimus etiam cum Tito fratrem cuius
laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non
solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs
comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam que
ministratur a nobis*. Hic frater, de quo Pau-
lus loquitur, Barnabas est, vt mox ostende-
mus. Ait de illo, ordinatus est, *χειροτονείας*:
vbi iterum absurdissimus Beza vertit, *Suf-
fragijs delectus est*, quum ex Luca manifestum
sit, non suffragijs delectū, sed à Spiritu San-
cto delectum eum fuisse; ministrantibus enim
Prophetis & Doctoribus Antiochenis, & ieiunan-
tibus; dixit illis Spiritus Sanctus: *Segregate mihi
Paulum & Barnabam ad opus ad quod assumpsi eos*.
Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis ma-
nus, dimiserunt eos. Ritus segregandi & mittendi
ad opus, erat Manuum impositio. Hanc
Paulus hic vocat *χειροτονείαν*, non populi
suffragijs, sed impositione manuū Doctorum
factam; nec a populi electione, sed ex Spi-
ritus Sancti expressa, vocatione ortam.

Barna-

2. Cor. 8.
39.

Perz. alia
corruptio

Act. 13.

Barnabam autem fuisse de quo Paulus ad Corinthios loquitur, (etsi Lucam eum fuisse alij, auctore Hieronymo, existiment, Beza verò, eius reiecta sententia, quis iste fuerit, inquiri non vult, ideo fortasse, ne de Barnaba hoc intellectum, improbam eius versionem aperte refutaret) paucis docebo. Sanè ipse Apostoli contextus hoc conuincit. Primum enim, quum ait, *Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias*, Barnabæ prædicationem Euangelicam, de qua in Actis tam multa Lucas narrat, pariter cum Paulo susceptam aperte insinuat. Neque enim Lucæ Euangelium aut adhuc scriptum fuisse constat, aut, si scriptum erat, per omnes Ecclesias innotuisse probabile est. Barnabæ autem prædicatio Euangelica non secus ac ipsius Pauli celeberrima fuit. Secundò, quod addit, *Comes peregrinationis meæ ab Ecclesijs ordinatus*, ita clarè Barnabæ competit, ut aliū velle inquirere cui istud conueniat, siue Lucæ, siue Silæ (ut quidam modernus scriptor coniectat) nihil penè sit aliud quàm in media luce per tenebras quærere. Quid enim clarius quàm Barnabam peregrinationis Paulinæ comitem ordinatum ab Ecclesijs fuisse, tum Act. 13. quando ad prædicandum Gentibus pariter cum Paulo solemniter dimissus est, tum Act. 15. quando ab Antiochia Hierosolymam pariter cum Paulo denuo mittebatur ad quæstionem de lega-

Barnabæ
Pauli so-
cium or-
dinatum
fuisse, nō
Lucam.

libus terminandam? An hoc aut aliquid simile de Luca, aut Sila, aut alio quopiam legitur? nusquam profecto. Tercio, quod adiungit Paulus, *in hanc gratiam quæ ministratur à nobis*, id est, ad hanc collectionem eleemosynariam, non nisi de vno Barnaba intelligi potest, qui tum ab Apostolis cum Paulo ad hoc munus delectus fuit, ut ipse-

Gal. 2. met narrat Paulus dicens; *Dexteram dederunt mihi & Barnabæ societatis, tantum ut pauperum memores essemus*, &c. tum antea ex Antiochia Hierosolymam pariter cum Paulo ad hoc

Aët. 11. ministerium peragendum missus est: *Mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli*. Neque verò ei quod diximus Barnabam Paulinæ peregrinationis comitem fuisse, quic-

Silas Pauli comes, nec diu, nec ordinatus ab Ecclesijs. quam obstat, quod Aët. 15. Paulus à Barnaba discessit *assumpto Sila*, quasi ille postmodum perpetuus Pauli comes fuerit, non Barnabas: nam non ita multò post ad Paulum redijt Barnabas, antequam hanc secundam ad Corinthios scriberet epistolam. Nam in

1. Cor. 9. priori ad Corinth. dixit: *An ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operari?* Deinde, utcumque Silas cum Paulo ad tempus peregrinatus fuerit, non legitur tamē quod comes peregrinationis Paulinæ ab Ecclesijs ordinatus fuerit, sicut de Barnaba aperte hoc legitur; sed tantum quod ab ipso

Aët. 15. Paulo (discedente ad tempus Barnaba) assumptus fuerit. Denique Chrysostomus, Theodo-

Theodoretus, alijque omnes Græci interpretes, non nisi de Barnaba Paulum hîc loqui intelligunt. Quum igitur Barnabas à Paulo dicitur ordinatus ab Ecclesijs, χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, id est, per manuum impositionem segregatus & dimissus ad prædicationem Evangelij; manifestum euadit, quòd vox χειροτονεῖν non per suffragia deligere, vt falso & temere ipsum textum peruertunt hæretici, sed per manuum impositionem ordinare significat.

Nunc cum Beza pergamus, & hominis singularem demeritiam magis ac magis aperiamus. Est (inquit) notanda vis huius verbi, vt Paulum ac Barnabam sciamus nihil privato arbitrio gessisse, nec ullam in Ecclesia tyrannidem exercuisse: nihil denique tale fecisse quale hodie Romanus Papa, & ipsius affecta, quos ordinarios vocant. Aperit bestia, cur ita studiosè verbi Græci proprietatem inuerterit: ne videlicet aliquam hîc ordinandi Presbyteros potestatem (quam bonus Beza tyrannidem vocat) Paulus & Barnabas exercuisse videantur, qualem in Ecclesia Catholica locorum & Dicecesum Ordinarij Præpositi seu Episcopi exercent. Scilicet scribente Paulo ad Timotheum, *Nemini citò manum imposueris*, docuitne tyrannidem in Ecclesia temere exercere? Rebelles hæretici, legitimam à Christo datam potestatem, tyrannidem vocant; & eius loco popularem electionem, homines

Beza Apōstolicam χειροτονησῶν pro tyrannide habet.

1. Tim. 5. 22.

mines populares, id est, propriè tyrannidi prospicientes, ista uere moluntur. Sed facta iam ostensum est, *Paulum & Barnabam* sua autoritate (non tyrannide) *constituisse & ordinasse per singulas Ecclesias Presbyteros* absque ullis populi suffragijs, quorum in textu uerbi Dei nulla fit mentio: & extra uerbū uagari Beza non debuit. Addit adhuc: *Quidam*

Beza Cal-
uinū cor-
rigit.

hoc referre malunt ad manuum impositionem, quæ & ipsa sit prorsus necessaria. Hoc fecit ipse Caluinus, ipsa eum loci ueritate cogente. Ita nunc ab optimo suo parente & doctissimo Interprete longè fugit Beza. At cur ita? aut unde hîc illi insolitus metus? *Et hoc*, inquit, *prætextu arrepto uocationem nostram irritam esse dicunt, quoniam Ordinarij, quos uocant, nobis manus non imposuerunt: si e quodd non sumus in Ro-*

Beza vo-
catio irri-
ta & nul-
la.

mana Ecclesia consecrati. Expresit suū metum Beza, qui etiam in uirum constantem cadere potuit. Non admittit hoc loco Paulum & Barnabam per manuum impositionem in singulis Ecclesijs Presbyteros constituisse, valde & meritò sibi metuens, ne hæc forma Apostolica (ad quam illi omnia sua referre uelle uideri uolunt) illis uehementer præiudicet, qui sine huiusmodi forma, nec legitimè uocati, nec constituti, gregem Domini inuaserunt. Calvinus audacior rem totam concessit, aliam sibi euadendi uiam patere arbitratus, ut in præcedentibus ostensum est: Beza præter morem timidior concedere

cedere

cedere non audeat. Ita hoc loco lupum auri-
bus lupi isti tenuerunt. Sed res clara est, nec
amplius repetenda, satis in præcedenti ex-
plicatione, idque ex ipso Caluino, demon-
strata. Quare Beza, vti cu. nq; ab ordinatio-
ne per manuum impositionem facta totis
viribus aufugiat, nec illam hoc loco insi-
nuari permittat, tamen lectori satisfacere
cupit, cur ille & sodales sui per manuū im-
positionem in Romana, id est, vnica & sola
Catholica Ecclesia, & in qua sola Episcopi
cernuntur qui manus Presbyteris impone-
re debeant, ordinati non fuerint. Ita hæc
res animum eius, & merito, intimè perstrin-
gebat. Respondeo (inquit) ex ipsis Canonibus,
quos iactant, irritam esse consecrationem cui
non præierit legitima electio, aut quæ sit ab ex-
communicato. Ostendant autem ipsi vel vnum
in tota illa hierarchia qui legitime sit vocatus,
imò qui non sit centies ipso iure excommunicatus,
si ipsis eorum Synodis stetur. Nos igitur cur ab il-
lis impositionem manuum peteremus, aut quo iu-
re ipsi nobis eam tribuerent? Hæc illè. Scilicet
Bezæ credendum est, nullum fuisse in toto
orbe Christiano Episcopum qui manus il-
li imponeret, nisi iuxta Canones excōmu-
nicatum, adeoque centies ipso iure excom-
municatum. Sic solet rebellis in Repub. ne-
quam, qui abiecto Principis imperio tyran-
nidem inuadit, nullo ei de more maiorum
Principis insignia conferente, diadema nul-

Vocatio-
nem suā
& suorū
Beza de-
fendere
nō potest.

lo imponente, iuramentum fidei publice nullo accipiente, per ensis traditionem (aut alia aliqua cerimonia de more gentis) potestatem ei publicam nemine demandante, hac una impudenti voce excipere, nullum esse in toto regni ambitu qui hac illi cōferre idoneus sit, omnes, se vno excepto, aut Reip. perduelles hostes, aut homines impios vel indignos esse. Denique vetus hac est & ipsissima Donatistarum exceptio, qui à nullo Catholico Episcopo ordinari voluerunt, canino rictu clamantes, vt hīc Beza, omnes esse excommunicatos, omnes diuinorum codicum traditores fuisse, aut illis communicantes traditorum scelere inquinatos extitisse. Sed & bonus Beza, qui se Canonum Ecclesiasticorum ita peritū venditat, turpissimè errat, & contra Canones pronunciat, non posse ordinari quempiam, aut manuum impositionem accipere, ab eo qui excommunicatus est: quādo & Episcopus excommunicatus, tamen manus imponendo grauitè peccat, veros tamen ordines iuxta Canones confert, & ordinatio valet; & in casu necessitatis, id est, publicæ Ecclesiæ vtilitatis, ab excommunicato Episcopo manuum impositionē accipere, adeo peccatum non sit, vt etiā laudabile iudicatum fuerit. Nihil ergo miserum Bezam hac exceptio iuuat, quod omnes totius orbis terrarū Episcopos centies fuisse excommuni-

Vide Petrum Damianum
epist. 15.

municatos portentose proclamet. Alibi latius contra hanc demeriam disputauimus. Quæ igitur tandem tua, Beza, vocatio fuit? *Habemus* (inquit) *nos Dei beneficio certas nostræ vocationis notas, legi imo ab Ecclesijs nostris & vitæ & doctrine testimonio (per Dei gratiam) ornatæ, & ab iisdem electi, ac demum etiam inuocato Dei nomine in nostro ministerio confirmari.* Hæc blanda sunt serpentis verba, quæ quilibet cuiuscunque sectæ sectarius, à suis conuenis & sodalibus in cathedram pestilentie euectus, pro sua quoque vocatione, pari fide, pari veritate proferet. Dicer vnusquisque à suis Ecclesijs sese ornatum, electum, confirmatum. Atqui nec certæ nec vllæ sunt istæ vocationis notæ. Legitimæ vocationis certa nota iuxta Scripturas & praxim Apostolicam est, non ab aliqua particulari factione, sed ab Ecclesiæ Catholicæ Pastoribus ac Præpositis, non solo aut pudo vitæ ac doctrine testimonio, sed per illustrem *impositionis manuum* ceremoniam, constitui, ordinari, & ad Apostolicæ vocationis munia obeunda consecrari. Hac vera nota, & in Scripturis reuelata, quia Beza se ac suos euidenter carere cernebat, alias misere confinxit, quibus acres conscientie suæ latratus nonnihil placaret, & morsus acerbos mitigaret.